

D. O. M.

POSITIONES ANATOMICÆ
ET
CHIRURGICÆ.

PANARITIUM, digitorum affectio est quæ nec ſimplicior, nec complicatior, cujuſque nec facilior nec operoſior curatio. Diſcriminum hujusce morbi ratio, à partium, quas afficit, ſtructurâ, officio & indole repetenda; id circò de extremitatis ſuperioris anatome, ad Panaritiorum curationem néceſſariâ, rationem reddere operæ pretium erit.

PANARITIUM, Græcis παρονυχία, quod in extremo digiti ſitum ſit, morbus eſt inflammatorius, tumore majori minori-ve ſe ſe exhibens. Pro quadruplici hujus-ce tumoris ſede, qua-

tuor paronichiarum species assignaverunt Chirurgiæ protomagistri.

PRIMA cutem leviter obsidet cum tumore, rubore, tensione, calore & dolore; secunda, cutem imò & membranam adiposam occupat, iisdem simptomatis, sed majoribus, dolore præsertim acutiori, stipata.

SÆPIÙS in tendinum vaginis situm habet Panaritium, vix ullo aut planè nullo in extremo digiti concomite tumore: hujus-ce tertiæ speciei tanta mali sævities, ut nisi efficaciora artis suppeditentur auxilia, delirium, convulsiones accersat, miserrimosque tandem inter cruciatus animam æger exhalaturus sit.

PROFUNDIÙS denique haud infrequenter situm est Panaritium, in ipso scilicet phalangæ periosteo, vel inter os & periosteum sine tumore, rubore, aut vix ullo; multùm dolet æger, remissiùs tamen quàm in tertiâ specie.

PANARITIORUM causa proxima eadem est ac alterius cujuslibet inflammationis; itaque exoritur nunc ab externis, pungentibus præcipuè, nunc verò à diathesi fluidorum acri & vitio quodam sæpiùs inquinatâ.

DIAGNOSIS *ex præfatis deducenda.*

TERTIA species periculosior est aliis ratione sedis & simptomatum tum essentialium, tum adventitiorum: pus vaginam inter & tendinem serpit, eorum substantiam vellicat, corrodit; hinc omnia exçandescunt, fiuntque inflammationes, abcessus, uti in flexurâ cubiti, infrà axillas, imò & gangræna.

PHALANGAM non rarò corrodit Panaritium quartæ classis, acerbissimum excitat dolorem, gravissimaque, si ad extrema venerit, accersit mala.

PARONICHIARUM primæ & secundæ classis haud ardua curatio; resolutione aut brevi levique suppuratione facili negotio curantur: eas tamen, secundam potissimùm, si congrua fat & citò

non adhibita fuerit therapeia, tertiam in ſpeciem degeneraſſe obſervatum eſt.

A remediis tum internis tum externis, à ſcalpello denique paronichiarum inſtituenda curatio.

PARONICHIÆ cuticulam inter & cutem ſedentis expedita Medicina : ſi ſub epidermide puris adſit collectio educatur ; tunc veluti ſponte ſuâ non nunquam ſaneſcit.

SI ſub ungue humoris ſtaſim reperieris, & extollatur unguis ipſe, eâdem quâ ſublevatur proportione, ſubitò pro re natâ vel ſcindatur, vel ſecetur, & juxtà praxim vulnus curetur.

SI profundiùs hæreat malum, cutemque imò & membranam adipoſam afficiat, reſolventium aut ſuppurantium ope ſanetur.

SI propè articulum & extrà vaginam aperiendus tumor adſit, hunc, ad tendinis flexoris ſalutem, ſcapello, non verò cauſticis ut potè perniciofis, è latere aperiendum legitima docet praxis.

SI celebratæ operationi ſuccedat hæmorragia idoneâ ſiſtatur compreſſione.

PRO *variis quæ ſæviunt in tertiâ ſpecie ſimptomatis*, diverſa medendi ratio : hinc ſi vividiſſimus ægrum dolor exagitet, ſi major adſit partis inflammatio, venæ ſectiones plus minùs-ve repetere cataplaſmata anodina, emollientia ſuper imponere non procraſtinabit ſciens Chirurgus.

SI mali non deflectat ſævities, peſſimis ægri rebus puris expectaretur confectio ; citò debelletur tumoris tendinis que vaginæ inciſione.

SI ſuper muſculum quadratum reptans pinguedo in purem abierit, quàm citiſſimè aperiatur focus.

SI ob puris ſub aponevroſi palmari effuſionem, uſquè ad principium tendo graviter afficiatur, ipſum-ve ligamentum annu-

ſare vitiatum fuerit, ad compeſcenda quæ ex inde ſoboleſcunt accidentia, utriuſque ſectio nonnunquam ineluctabilis.

AD ſauciati aut detecti tendinis curationem, ab unctuoſis diligenter abſtinendum, ſed ad balſamica recurrendum.

SI in perioſteo ſedem fixerit ichor, inciſio in os uſquè inſtituenda : ſi verò carie corroſa phalanga reperiatur, hanc, præposterâ opitulandi ſollicitudine, ferro non amputet Chirurgus ; naturæ etenim beneficio, medicaminumque ad exfoliationem idoneorum energiâ curationis opus abſolvi ſinè ullâ ferè deformitate haud raro obſervavimus.

CÆTERUM, juxtà praxim deligetur vulnus congruâque obfirmetur faſciatione.

Has poſitiones, DEO JUVANTE, & præſide M. PETRO GENTI, Artium in almâ Univerſitate Pariſienſi, & Chirurgiæ Magiſtro, nec non Scholarum præpoſito, *tueri conabitur* PETRUS FABRE, *Avenionenſis*, *Artium Liberalium Magiſter.*

d'Avignon

PARISIIS,

IN REGIIS CHIRURGORUM SCHOLIS.

Die Sabati 30ma Octobris 1751. *à ſeſqui-ſecundâ poſt meridiem ad Septimam. Anno Domini* 1751.

PRO ACTU PUBLICO

ET

MAGISTERII LAUREA.

Typis DELAGUETTE Regiæ Chirurg. Academiæ Typographi 1751.